

tribus millibus peditum Francisci II. Ducis Mediolani. Alexandriam tutabantur mille, & quinquecentum pedites. Sed paullo post Albericus Belgiojosius subsidio venit cum selecta militum manu, per proximos colles Alexandrinos, quo factum fuit, ut expugnatio difficilior redderetur; nam strata machinis murorum parte vallum magna celeritate intus reficiebatur. Ad hoc Venetus exercitus in Gallorum auxilium advenit, at undique civitas oppugnabatur cuniculis a Petro Navarro insigni horum artificum, tormentisque bellicis, ac bombardis, qui numquam desistebant, mœnia undique quassabantur, adeo ut coacta sit civitas, militesque, qui præsidio erant salvo honore, & persona deditio- nem facere his conditionibus, ut Baptista Lodronus in Germaniam contenderet cum impedimentis omnibus, Alberico Barbiano de Belgiojosio autem in Taurinos ire liceret, modo ne per semestre spatium contra Galliarum Regem, atque ejus socios arma ferret. Post quod Lautrechus Alexandriam quingentorum peditum præsidium imponere tentavit; sed de hoc sociis valde conquestis, mutata sententia, ut Sfortiani illud imponerent, permisit.

(1) Hoc factò Germanisque MS.

MDXXVIII. Cum nomine Regis Gallorum Comes s. Pauli maximo cum exercitu Italiam peteret, Astam Coloniam primo adit (1), in quam exercitus Venetus cum ejus Quæstore advenerat, & paullo post Alexandriam versus prodierunt, in qua per mensem cum universo exercitu, & in adjacentibus oppidis in hybernis permanserunt. Eodem anno Comes Antonius Guasus castrum Gavii suum proprium Genuensibus, infcio Duce Mediolani, distraxit, & vendidit, qui Novas, & Vuada acceperunt, quæ postea semper tenuerunt.

(1) Adipit MS.

MDXXIX. De mense augusti Hieronymus Marinonus Commissarius Generalis Francisci II. Sfortiæ Mediolani Ducis Alexandriam venit, existente Ludovico Vistarino ipsius civitatis Governatore, & facta grani perquisitione, granarium constituit, & furnum deputavit unicum pro singulo Quarterio, in quo panis vendebatur solidis tribus in singulas libras, ut militibus stipendium persolveretur, nec alius panis confici poterat. Et quia ejus Cancellarius, qui Mediolanensis erat, ex illis a Porta macinari fecerat frumentum, & vendiderat panem, laqueo suspendi fecit. Insuper consimili modo quandam mulierem gravidam, quæ in Bergolio stabat, eo quod quatuor panes nigros, ut suis filiis daret, exportabat, eam pariter laqueo suspendi jussit. Interim Hispani per Comitatum hospitabantur, & multa mala perpeffi (1) sunt Alexandrini hoc tempore; quin etiam tamquam pestis rabida hic Marinonus persolvi jussit Sexadiensibus sex mille aureos, ac præsentari in pœnam vectigalis defraudati. Granarium hoc perduravit usque per annum 1530., & 1531., deinde Mediolanum se recepit maximo cum odio Francisci Mediolani Ducis ob ejus mala gesta, & populorum oppressiones. Mox Venetias petiit (locus enim is est non longe distans a Mediolano) ubi malo modo, misereque, & maximo animi dolore periit. Unum benefactum ab ipso fuit,

quod male acquisitum Xenodochio Mediolanensi reliquit. Eodem anno Carolus V. Imperator Cenavam appulit, mox Placentiam, dein Bononiam, ubi Clemens VII. Pontifex Maximus eum præstolabatur; anno vero sequenti in memorata civitate corona Imperiali ornatus fuit a Pontifice, in qua cum multi Duces concurrissent, Dux Franciscus Sfortia, qui spoliatus erat suo Ducatu, reintegratus fuit, ita ut Imperator perciperet octuaginta mille aureos, quorum pars persolvenda erat in certis temporibus. Eodem anno intercessione præfati Francisci Ducis fit Generalis Antonius de Leva in Italia.

(1) Perpenfi MS.

MDXXX. Carolus V. Imperator Mediolanum Francisco Sfortiæ una cum reliqua ditione restituit. Ipse Franciscus pollicetur summam aureorum nonaginta millia Cæsari, ex quibus quadraginta millia primo anno ab ipso repræsentantur, reliqua in annos decem æquis pensionibus dinumerare cogitur.

MDXXXI. Ghilinus de Ghilinis juris utriusque Doctor, Episcopus Comacensis hoc anno potissimum floruit. Extat adhuc Epistola ipsi directæ per Johannem Menardum de usu ptisanæ, qui Medicus fuit sui temporis excellentissimus. Data Budæ.

MDXXXIII. Die decimo tertio mensis septembris Camillus Ghilinus Francisci II. Mediolani Ducis a secretis, & ejusdem in calamitatibus Comes, filius Jo. Jacobi Ghilini, pariter a secretis Ludovici Sfortiæ Ducis, hic cum Legatus ad Carolum V. Imperatorem per annos novem, & ulterius fuisset, interim omni studio, & fidelitate, seduliterque Ducis negotia procurasset, tandem ob egregiam operam navatam, ab eodem Duce in laborum præmium mille, & quinguecentum libras Mediolanenses in maxima pecuniarum angustia annuales accipit.

MDXXXIV. Franciscus II. Sfortia Mediolani Dux uxorem ducit Christiernam filiam Regis Daniæ, neptemque. Caroli V. Imperatoris, quæ maxima pompa, & lætitia Mediolanum ducitur.

MDXXXV. Franciscus Sfortia II., & ex Sfortiorum familia ultimus Mediolani Dux, vir omnibus virtutibus heroicis perfectus, & numeris absolutus, relicta Christierna uxore, hoc anno maximo cum subditorum dolore moritur, summaque cum honorificentia in Ecclesia Cathedrali in majori Cappella humatur die vigesimo quinto mensis octobris. Cui dominio successit Carolus V. Imperator, cuius vices gerebat Alphonsus Davalos Marchio Vasti.

MDXXXVI. Die decimo quinto mensis julii invictissimus Carolus V. Imperator ob egregiam operam navatam a Camillo Ghilino Francisci II. Sfortiæ Ducis a secretis, eidem donationem jam pluribus annis præteritis a dicto Francisco Sfortia reconfirmat hac præfatione verborum: „ Egit olim „ Illustrissimi Francisci II. Sfortiæ Mediolani Ducis „ apud nos, tum in Hispaniis, tum in aliis locis „ Oratorem Camillus Ghilinus, ejusdem Ducis Secretarius non minore erga Principem fide, & „ dexteritate, quam erga nos studio, & observantia, qui etsi ab ipso Duce nonnullas donationes